Lateritt, primo loco aperiam. Subjecti sanè vicem ὁ λόγος heic supplet: quod nomen aliàs locuplctissimum & magni momenti significatum obtinet. Missis tamen aliis quibuscunque significatis, dicendum heic restat ad docendum, quemadmodum filium Dei s. secundam divinitatis personam consubstantialem per τὸν λόγον intelligi: ut sic æternus Dei filius sit, qui incarnatus in plenitudine temporis legitur ac creditur. Dei videlicet illius, qui ineffabili suo verbo, τὸ DIXIT, fabrefecit, & coelum claudit, quæ terra continet, Filius incarnatus est. Incarnatus est ille ipse filius Dei, quem Johannes, altivolans illa & acutissimi inter Evangelistas visus aquila, ad idioma forte Chaldaicum, quod tum temporis erat usitatum, & quo Messias appellabatur מֵימְר, respiciens, λόγον, Paulus verò, Apostolorum omniumque Principius, Θεὸν vocat. λόγος sc. æternum Dei filium, qui antequam assumeret carnem ἐν ἀρχῇ ὁ λόγος dictus Johannes iisque solus salutat, tum, quia arcana Dei prolocutus nobis est, & revelavit, tum quia is ipse est, de quo sermo coelitus factus est, & de quo potissimum in Scripturam sacram sermo habetur. Θεὸν Paulus ipsum vocat, quem & aliàs imaginem Dei dicit, cum respectu humanæ naturæ, in qua se invisibilis Deus quodammodo visibilem reddidit; tum, respectu divinæ, quia ejusdem est cum Patre essentiæ, ab æterno exgenitus. Atque sic omninò verbum hypostaticum heic intelligitur, quod est ipsissima secunda Trinitatis persona, coelestis unigenitus Patris. Hic, hic caro factus, h. e. integer, qui corpore & anima constat, natus dicitur. Esse a. Verbum hoc eundem cum Patre Deum (i) Nomina.

nominibus, quæ ipsi in sacro codice tribuuntur, constat. Constat & id ex attributis divinis, ex operibus & cultu, uni Deo competentibus: imò & ex ipsa ratione ac natura filii constat. Nomina quidem, quorum quædam personam τοῦ λόγου, quædam verò ipsius officium concernunt, luculentissima sunt. Quare si omnia ordine enarrare vellem, citius me vox & lux, quam copia deficeret. Certè D. Johannes ipse expressè Verbum hoc Deum vocat: vocat Filium Dei: unigenitum patris vocat. Vocatur & idem apud Esaiam Immanuel: vocatur apud eundem Jehova justitia nostra: vocatur פֶּלֶא, vocatur (יוֹעֵץ), vocatur אֵל, vocatur אֲבִי־עַד, vocatur שַׂר שָׁלוֹם h. e. mirabilis, consiliarius,